



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 79. Ven. P. Hieronymi Gratiani Carmelitæ Excalceati fata, & decessus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

committeret, qui tamen eidem in re- Sæc. XVII.
 sponſis dabat: *Sereniſſime Princeps, ne* A. C. 1614.
moveas Camerinam, immotam hanc expedit
 eſſe.

§. LXXIX.

*Ven. P. Hieronymi Gratiani Carme-
 litæ Excalceati fata & deceſſus.*

Vivis quoque hoc anno ereptus eſt Franc. Ber-
 Venerabilis Pater Hieronymus Gra- raguette in
 tianus a Matre Dei natione Caſtellanus, Vita P. Gra-
 patria Valliſoletanus, cujus vita fortu- tian. Mi-
 næ varietate fatalis, mors vero ſancti- ræus Script.
 tatis fama celebris exſtitit. Hic Do- Sæc. XVII.
 ctoratus laurea decoratus, ac Com- pag, 279,
 pluti Theologiæ Profeſſor, anno a par- Christ.
 tu Virginis milleſimo quingenteſimo ſe- Marquez
 xageſimo nono ad S. Preſbyteratus Or- vit. Hier.
 dinem aſcenderat; majoris vero per- Grat.
 fectionis deſiderio captus, evoluto trien- Nic. Ant.
 nio Carmelitarum Excalceatorum in- Bibl. Hiſp.
 ſtitutum die vigefimo octavo Martii tom. I.
 profeſſus eſt: paulo poſt Prior Hiſpalen-
 ſis ab Apoſtolicæ Sedis Nuntio utrius-
 que Carmeli Viſitator ac Commiſſarius
 Apoſtolicus nominabatur, quo munere
 tantam in ſe concitabat invidiam, ut
 juffu Philippi Segæ Nuntii Apoſtolicæ,
 qui Excalceatis adverſabatur, ad mi-
 tigatos Carmelitas exul migrare coge-
 retur, donec nova Excalceatorum Car-
 meli-

Sæc. XVII. melitarum Congregatione Gregorii XIII.
A.C. 1614. jussu erecta, Provincialis ac Visitator
 crearetur, a Sancta Theresia, cui a
 Confessionibus erat, plurimi habitus:
 tertio tamen post hujus Sanctæ obitum
 anno in Capitulo Ulyssiponensi a suis
 æmulis insimulabatur, quod sub obten-
 tu charitatis nonnullas mitigationes in-
 troduxerit, ac relicto contemplationis
 studio nimium activæ vitæ, & præci-
 pue prædicationis exercitio vacans,
 communis vitæ exercitationes neglexe-
 rit. Equidem culpam a se movit Gra-
 tianus edita *apologia* sat erudita *pro de-
 fensione charitatis contra aliquos, qui titulo
 Regularis observantiæ debilitant ipsam, &
 Religiones perturbant*, nihilominus in Lu-
 dias ad Infidelium conversiones deman-
 datus erat, ne autem eo proficisceretur,
 obstitere Albertus Austriæ Archidux,
 alique Proceres, quorum tamen pa-
 trocinium præpedire haud valuit, quin
 anno Incarnationis Dominicæ millesi-
 mo quingentesimo nonagesimo secundo
 die decima septima Februarii a Reli-
 gione sua expelleretur: fors haud in-
 congrue huic fato addere possem illud
 Evangelii, *nec hic, nec Parentes ejus pec-
 caverunt, sed ut manifestaretur Gloria Dei,*
 & hujus Viri virtus. Ad hanc senten-
 tiam attonitus hæret Gratianus,
 Nuntii Apostolici opem implorat, ejus-
 que

que suafu sibi bene confifus Romam advolat, diu tamen Clementis VIII. al-
loquio exclusus, nec etiam præpediente Philippo II. Rege, qui inde novam Car-
melitarum reformationem perturbari timebat, ad suos redeundi facultatem
obtinere valuit, concessa duntaxat ve-
nia alium ingrediendi Ordinem. Re-
pulsam tamen ubique passus, Neapo-
lin in Siciliam contendit, ubi seclusa
omni ad suum Ordinem redeundi spe
habitum Fratrum Eremitarum Discal-
ceatorum S. Augustini assumere con-
stituit, hancque in rem Romam versus
navigavit: at inimicam rursus exper-
tus fortunam, die undecima Octobris
ejusdem anni prope Galtam in Turcas
Piratas incidit, omnibus spoliatur ve-
stibus, probris, verberibus, ac catenis
oneratur, atque in utriusque pedis
planta Crucis figura ignito ferro inusta,
admotis candentibus laminis fame, siti
ac frigore male torquetur, postea ta-
men a quodam Turca modestissimi Viri
auditatem miserto laceram vestem, a
Christiano remige detritos calceos, &
a quodam Mauro sordidum verticis te-
gumentum accepit. Tandem Tunetum
perductus, spe copiosi Lytri a Bassa e-
mitur, ac cum ceteris mancipiis Chri-
stianis in quodam loco subterraneo, im-
mundo, foetido atque obscuro includi-
tur,

Sæc. XVII.
A. C. 1614.

Sæc. XVII. tur, ubi tamen quam plurimos Sara-
A. C. 1614. cenos vi precum suarum; necnon ca-
 ptivos Christianos assidua Divini Verbi
 prædicatione vel ad Christi fidem ad-
 duxit, vel ad labores pro Christo tole-
 randos jugibus hortationibus validoque
 spiritu animavit. Exacta demum trien-
 nali captivitate quidam Judæus nomi-
 ne Simon, cujusdam beneficii, quod
 olim a P. Gratiano receperat, memor,
 eundem persoluto redemptionis pretio
 in libertatem asseruit: ipse vero mox
 Romam profectus, annuente summo
 Pontifice ad Patres Carmelitas mitiga-
 tos transiit, posthæc in Hispaniam mis-
 sus, verbum Dei velut imbrifera nubes
 circumquaque discurrens, dissemina-
 bat, atque in Flandriam & Belgium
 inde pergens, per annos novem ani-
 marum salutem indefesso studio promo-
 vere satagebat, demum vero Bruxellis die
 vigesima prima Septembris anno ætatis
 suæ sexagesimo nono in suo Conventu
 non sine magna Sanctitatis opinione
 obiit, tota ferme Bruxellensi aula fu-
 nus comitante, & quodam Ordinis FF.
 Prædicatorum Magistro funebrem ser-
 monem perorante. Scripsit quamplu-
 rima, ex quibus præcipue Andreas del
 Marmol amplo volumine anno 1616.
 Mantuæ Carpentanæ typis edita colle-
 gerat: Sunt autem hæc *Dilucidarium*
spiritu

Spiritus, Itinerarium trivice Perfectionis, de Sæc. XVII.
modo recitandi devote Officium Divinum & A. C. 1614.
Missam dicendi. Meditationes in orationem
Dominicam, & salutationem Angelicam.
Abecedarium Spiritus, tractatus de SS.
Trinitate. Regula bene vivendi. Apolo-
gia contra eos, qui in omnimoda sui anni-
hilatione perfectionem constituunt. De ex-
cellentia S. Josephi lib. V. Stimulus pro-
pagandæ fidei, de redemptione captivorum.
De variis dæmonum fallaciis adversus vir-
tutes. Devotus Peregrinus. De arte a-
mandi Deum. Sparsim editi sunt tra-
ctatus de indulgentiis, & Jubilæo, cu-
jus Bullam ipsemet Clemens VIII. ad
Gratianum direxerat, ut illud Christia-
nis in Africa degentibus annuntiaret.
Miles Christianus Bruxellis anno 1611.
editus. Grande volumen in Apoca-
lypsin S. Joannis. Babylonica cæcitas
adversus hæreticos. Lamentationes de mi-
sero statu Atheistarum. De potestate Pon-
tificis contra librum Ferdinandi de los In-
fantés. Chronographia Carmelitana. Con-
silia brevia semper & ubique. Hierogly-
phica Sacra. Spirituum discussio. Con-
fessionale Mancipiorum. Modus disputan-
di contra Saracenos & Judæos. Liber de
arte bene moriendi, & Conceptus de Di-
vino amore in Cantica. Permulta alia
conscriptit Gratianus, quæ vel solum
nominare nimis prolixum foret, multa
insu-

Sæc. XVII. insuper alia reliquit nondum typis edita
A. C. 1614. apud Fratrem suum Germanum Grati-
 tianum. Erat enim Hieronymus va-
 stissima eruditione ac pene omnium Na-
 tionum linguis & literis apprime ex-
 cultus, quem etiam S. Theresia suum
 Eliseum vocare solita erat.

Huic merito adjungimus P. Joan-
 nem a Jesu cognomento Rocca Catala-
 num, qui dum Hieronymum Grati-
 anum adhuc Complutensis Academiæ
 Theologum de Ordinis Carmelitani
 præstantia egregie perorantem audiisset,
 novæ Theresianorum Congregationi no-
 men dedit, atque ob egregias animi
 dotes omnes ferme Ordinis sui honores
 gradatim adeptus, a Gregorio XIII. &
 Clemente VIII. plenam a Calceatis se-
 parationem obtinuit. Scripsit commen-
 taria in universam Philosophiam &
 tractatum de Theologia Mystica.

§. LXXX.

*F. Didaci Nunno aliorumque ex Or-
 dine S. Dominici Scriptorum mors.*

*Eckard
 Script. Ord.
 FF. Prædi-
 cat. tom. 2.*

Celebres quoque Scriptores ex Ordine
 FF. Prædicatorum hoc anno de-
 cessere, quos inter primus erat Dida-
 cus Nunno Cabezudo Hispanus egre-
 gius gratiæ efficacis Vindex, qui per
 triginta annos in variis Castellanae Pro-
 vincia